Reverendo Viro D. Doctori Erasmo
Albero domino et fratri suo in Christo
amicissimo.

Magdeburgi.

S. in Chro. Si quid iucundum mihi temporibus hisce tristissimis esse posset, iucundae inprimis suavesque fuissent tuae literae. Gratissimae certe fuerunt, quod [illegible] mihi, non solum. Utinam quidem tu in his rerum procellis vitam ageres. Nam quas literas Georgio Hala ad Snepffium et me dedisti, nondum vidi. Veruntamen quam pio quam firmo ac plane Germanico animo praediti sint cives Magdeburgenses in conservanda pia Evangelii doctrina. Neque enim, ut tu petis, huius inclytae urbis nomen transferendum iudico ad alias urbes, quae muliebri mollicie professionem Evangelii Christi abiecerunt, sed contra, si aliae urbes hoc nomine vocarentur, ad hanc transferendum esse. Scis enim quis sit usus huius

nominis Virgo, cum in scriptura tribuitur
civitatibus. Virgo (inquit) filia Zion, Virgo
filia Babylon. Virgines dicuntur hae civita-
tes, quod ante eam aetatem nondum ab
ullo externo hoste violatae, et subiugatae
nunquam fuerint, sed manserint hactenus li-
berae regna, sicut Virgo libera est a mari-
to. Cum autem πατέρων πολι-
tum constans sit institutio, ut maluerit extre-
ma ferre, quam iugum papisticum iterum subi-
re, et alienum dominium agnoscere. An
non vere est Magden, hoc est, Virginum
πυργάν? Quare extendamus corda et
manus nostras, et invocemus Deum patrem
Domini nostri Jesu Christi, ut haec civitas,
quod est, semper vere dicatur, maneatque di-
vina clementia, vera Virgo, et propugna-
culum, ut nullius hostis violentia opprimatur
sed propugnet tam suam, quam aliorum libertatem.
Optarim autem vehementer, cum esse rerum

mearum statum, ut possem voluntati tam
piorum et vere fortium civium voluntati
gratificari, et Ecclesiam totam coram, mi-
nisterio meo iuvare. Sed teneor adhuc reli-
gione fidei, quam praestiti ei principi, qui in peri-
culo vitae meae, eripuit me, per gratiam filii Dei,
nonnullo suo quoque periculo, e faucibus Leo-
nis. Huic promisi me expectaturum in exi-
lio vocationem eius usque ad tempus praefini-
tionis Mariae, seu quod verum, Carnificinae.
Quod officium, ut praestem, exigit non tam
fides, quam gratitudo, quae a me tanto bene-
factori debetur. Etsi autem nondum video ul-
lam in hoc rerum statu rationem, qua
fieri posset, ut pateat mihi docendi locus in
regione eius, propter funestum illum librum
Interimis, quem nec volo, nec possum, nec
debeo approbare, tamen promisi et alteri
meum officium. Si ille prior aut nolit,
aut non possit, post definitum illud tempus

mea opera uti. Quare precor te per nostram
veterem amicitiam, in Christo filio Dei confir-
matam, ut me commendes viris doctis.
Evangelium Christi apud vos diligenter excolentibus.
Audio vos esse viros magna pietate et eruditione
preditos. Collegio igitur vestro nihil mihi
iucundius esset. Et dabo adhuc, quoquo
modo possum, operam, ut si libertatem consecu-
tus fuero, reipsa testificer, voluntatem vobis
gratificandi; mihi haudquaquam deesse.
Interea orabimus DNM, Vt si incremento
eius mea opera huic Ecclesiae profutura sit,
ostendat et tradat ipse occasionem, qua me
ad eam conferre queam. Isenmannus
noster, et Corzyus, adhuc sunt Halae, sed non
funguntur officio. Dominationem enim ibi,
ô rem non fictis lacrymis deplorandam, po-
testas tenebrarum. Gretterus meus affinis
contulit se ad Ducatum Wirtenbergensem, sed
quia nunc et ibi urgetur Interitus, scripsit

se ad nos venturum, Vt de rebus suis mecum
coram colloquatur. Hic omnia adhuc tran-
quilla sunt divino beneficio, atque utinam diu,
florent enim hic bonae artes, quibus amicissimos
etiam, et confoederatissimos distinguere conantur.
Snepffius adhuc est Tubingae, et expectat ex-
itum. Argentoratenses urgent Esp. Vt
et Interitum recipiant, et Iurisdictionem
sibi restituant. Sed quia antea subiecerunt
sese Victori, quod reliquum erit, nisi Vt etiam
Victoris Voluntati Vel pareant. Haec est
Germanica fortitudo. Vrbs Constantia
parum respondit nomini suo. Tradidit sese
totam, in servitutem Regis, cuius praesidium
nunc tenent, et abnegavit publice doctrinam
Evangelii nostri. Aliquot pii cives pro-
fecti sunt in exilium, priusquam Regium prae-
sidium urbem intraret, sed eorum facultates
postea à Regiis proscriptae sunt. Concionatores
omnes liberi dimissi aut potius eiecti.

Oremus [illegible] ut [illegible] nos clementer [illegible] et conservet Ecclesiae suae [illegible]
Verum [illegible] esse [illegible] ac [illegible]
Quaeso te diligenter salutes [illegible]
Viros dd. pastores et concionatores apud Vos
et commendes me precibus eorum [illegible]
die 5. Decemb. Anno 1548
Io: [illegible] tuus

Clarissimo Theologo Nicolao
Amsdorffio patri suo in Christo
observandissimo.

S. D. P. Charissime pater mitto tibi aliqua exemplaria excusa, quae a concionatoribus Iuniorum Principum scripta sunt contra INTERIM. Praeterea scias me, cum uxore mea, gratia Dei, adhuc valere. Pestis aliquantulum desijt, praeterita septimana tantum 50 habuimus funera, Deus omnipotens suam iram a nobis avertere velit. Ex aedibus nostri pastoris hac peste septem sunt mortui. Ex adversarijs nostris nemo est, qui adeo nobis molestus est atque ille Marchio. Deus illi rependat. Multa mala de Caesare nobis minantur, sed omnia in manu Dei sunt posita. ille sit noster defensor per Christum servatorem nostrum, Amen.

Pomeranus noster scripsit Ioanni Brentio, qui iam apud Basilienses exulat, ut apud nos Episcopi officio fungi velit, quid futurum sit ignoro. Deus velit suam Ecclesiam iam undique cruci subiectam, defendere, liberare, ac gubernare. Orationibus ~~etiam~~ omnes sedulo, quod etiam te in utilitatem Ecclesiae suae diu incolumem conservet, Amen. Salutat te Uxor mea, Ioannes Stengel et Iohannes Han.
Vale Magdeburgi 4. Decemb. Anno 1548

T. P. observantissimus
Sebastianus Werner.